PA 4417
.C5
Copy 1

DE FATI,

QUALE SOPHOCLES SIBI FINXERIT,

NATURA EIUSQUE CUM HUMANIS ACTIONIBUS

NECESSITUDINE.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA.

AUCTORE

IOSEPHO NICOLAO HUBERTO CHARGÉ,

PHIL. DR. ARCHIDIOECESIS COL. PRESB.

GYMN. COL. CATH. PRAECEPTORE ORD.

COLONIAE AD RHENUM.

LITTERIS M. DUMONT-SCHAUBERG.

1859.

PA4417
C5

Graecae tragoediae vim ac naturam qui penitus indagare et cognoscere velit, ei prae omnibus quid de fati vi et natura eiusque cum humanis actionibus necessitudine senserint poetae inquirendum esse nemo diffitebitur. Ex hac enim re praecipue quum ipsarum fabularum rationem, tum scriptoris virtutes, quibus maxime ab aliis differat, intelligere licet. Quod quum paene luce clarius sit, mirum videri non potest, quod tam multi antiquarum tragoediarum interpretes hanc imprimis explicandi viam ingressi veterum quum de diis tum imprimis de fato opiniones quales fuerint, quaerere instituerunt.

Sed ut in quaestione tam difficili et lubrica aliter fieri vix potuit, postquam diu variis erroribus huc illuc iactati interpretes id, quod gravissimi fuit momenti, non modo non perspexerunt, sed ne attigerunt quidem, mox acriori studio rem persecuti in duas partes discesserunt adeo inter se diversas, ut neutri cum alteris quidquam commune habere, utrique paene omnem in quaerendo modum excessisse viderentur. — Ut enim alteri potestatem in rebus humanis minimam vel nul-

lam fato, plurimam vel omnem ipsi hominis voluntati et arbitrio concessam voluerunt, ita alteri fato tantum tribuerunt, ut nihil ei non adstrictum et obnoxium iudicarent.

Quod sententiarum certamen quum etiamnunc extet et nonnulli viri doctissimi ad eam praecipue sententiam rursus abiisse videantur, ut caeca vi fati omnia suspensa putent, sane operae pretium est, rem totam, quo aequius et rectius diiudicetur, denuo omni ex parte excutere atque illustrare.

E recentioribus Graecarum tragoediarum interpretibus Schwenckius, ut mihi quidem videtur, rectius rem perspexit et pertractavit libro, qui inscriptus est: Die sieben Tragödien des Sophokles. 1846. Cuius viri rationibus, si minus omnibus, at plurimis tamen non potui non assentiri.

Atque ego quidem, ut quid de Sophocle sentiendum sit, satius constet rem, quam mihi proposui, ita instituam, ut primum in universum de fati vi et natura disputem, deinceps ex singulis Sophoclis fabulis potissima argumenta proferam.

Haec opinio multis viris doctis probata, sed, ut videtur, maxime est perversa, qua in Graecorum tragoedia fatum quasi regnare dicunt tanquam numen quoddam obscurum et maxime severum, quod mente rationeque carens caeca et furiali quadam libidine agitatum dolores et moerores iniiciat mortalibus, quin etiam necessitate quadam, cui nulla vi resisti possit, insontem

compellat ad scelera, quorum tanquam libere commissorum gravissimae ei poenae luendae sint. Quae opinio non sine magno detrimento vel nostrae gentis a recentioribus scriptoribus et ipsis celeberrimis poetis recepta est, nec qui accuratius inquisiverit etiam in Goethei et Schilleri carminibus multa extare exempla, quisquam negabit. Haec dira fati vis et necessitas quamvis primo adspectu hominibus, qui vera Dei cognitione destituti sunt, aut imbecillam tantum eius notionem conservarunt, divinam voluntatem supplere et in humanae vitae aerumnis solatii aliquid praebere posse videatur, nihil tamen, quod humanae rationi moribusque magis repugnet, excogitari potest. Et rationi quidem repugnat propterea, quod eiusmodi necessitatis vis cogitatione vix comprehendi potest. Etenim illam, si persona est, Deum esse et divino munere fungi necesse est, quod prorsus negatur; — si persona non est, obscuram notionem numinis omnipotentis et praeter Deum regnantis exhibet, cuius natura explicari nequit et cuius vis prorsus impia est. Item moribus repugnat, quod ratione fatali concessa omne liberum hominis arbitrium tollitur ideoque nullius facti ratio ab eo reposci potest ac quaevis remuneratio speciem prae se fert iniuriae. Atque eandem ob causam fatum illud abhorret quum ab omni omnino poesi, tum vel maxime a tragoedia. Nam tragoediae hoc est praecipuum munus, ut hominum actiones ad certam animorum naturam rerumque, in qua collocati sunt, conditionem depingat ita, ut suo quisque ingenio ductus libere et velle et agere

videatur, suas sibi quisque aerumnas paret et calamitates. Huic tragoediae muneri caeci fati ratio quomodo conveniat, vix intelligitur. Verum ne quis obiiciat, quod quidem decantatum est, in fatali tragoedia hoc ipsum esse sublime et magnificum, quod homines eximia virtute validoque animo praediti dirae necessitatis crudelitati fortiter resistant et quamvis labefactati magno tamen strepitu corruant. Qua in re ne verbo decipiaris cavendum est. Quomodo enim revera quidquam sublime aut magnificum inveniri in actione eius potest, qui ad omnia quaecunque agit, non suapte natura, sed impetu alieno fertur, qui in rerum difficultatibus et obstaculis removendis obscura quadam fati necessitate trahitur et adiuvatur! In eiusmodi spectaculo aut trepidans exspectabis fati quasi fulmina, quae temet ipsum vel innocentissimum mox percussura sint, aut alienas vires opesque superbe ac violenter contritas lugebis: neutrum magnificum sane ac sublime, immo utrumque homine prorsus indignum. Hanc autem tam indignam et absurdam opinionem Sophocli, poetae illi sagacissimo et intelligentissimo, imputare equidem non ausim. Non inepte igitur praeclarus ille Wuellnerus, nisi quis aut spectatorum multitudinem, aut ipsum poetam desipere vellet, cogitari posse caecam necessitatem negavit [1]). Idque praeter Wuellnerum quum alii multi sentirent quidem, tamen ab opinione illa praeiudicata recedere noluerunt. Qui quum nimiam

[1]) Progr. gymnas. Duesseldorp. 1841. p. 3.

fati vim statuere veriti aliquam humani arbitrii potestatem servare summopere studerent, tamen, ne in re ipsa explicanda et definienda in eundem errorem reciderent, non satis caverunt. Id quod facillime intelligitur ex sententiis Bluemneri, qui Aeschyli de fato sententiam explicavit [2]).

Item lapsi sunt illi, qui fatum funditus tollere conati sunt. Hi enim quum pro humanae rationis libertatisque dignitate fortiter pugnarent, in eum errorem declinaverunt, ut peculiari quadam ac nova via fati notionem explicantes omnia ad infirmam fragilemque rerum humanarum naturam revocarent. Itaque quod unicuique homini subeundum est certamen cum ipsa, in qua collocatus est conditione et cum sua ipsius natura, quae numini divino repugnat, id fatum esse voluerunt. Atque in eadem re causam, quod per tragoediam singularis quaedam severitas ac moestitia perfusa sit, quae omnium animos vehementer commoveat, positam esse putant.

Neque minus in fato explicando errant, qui critica quadam subtilitate in ea vocabula, quae ad fati notionem pertinent, inquirentes veterum opinione prorsus neglecta omnem numinis divini significationem reiiciunt. Itaque *μοῖραν*, quae totam hominum vitam regit, alii uniuscuiusque rei certam ac definitam naturam, indolem interioremque rationem, alii uniuscuiusque hominis definitum vitae spatium, alii aliud eiusmodi significare volunt. *Ἀνάγκην*

---

[2]) Ueber die Idee des Schicksals in den Tragödien des Aeschylus. Lpz. 1814.

vero eam vim quasi aeneam esse definiunt, qua rerum certamen dirimatur; *τὸ πεπρωμένον* et *μόρσιμον* vocabula usurpari de iis, quae in ipsa hominis natura et conditione posita sint ita, ut ex ea necessario prodeant; *αἶσαν* iustam rei rationem, diras denique furias iram modo significare[3]). Huiusmodi igitur interpretationibus quum viri docti vocabulorum notiones ad certas quasdam leges rationesque sola cogitatione comprehensas referrent, propriam illam vim, qua vocabula illa ad divinam fati naturam pertinent certasque eius vires virtutesque significant, prorsus sustulerunt. Atque hanc interpretandi viam eo praecipue consilio ingressi esse illi videntur, ut ipsorum deorum naturam digniorem et excellentiorem a veteribus conceptam fuisse probarent. Sed quidquid ita profecerunt, tamen plurimis locis nonnisi quaesita et artificiosa ratione eam, quam fovebant, significationem ex vocabulis eruerunt. Nec desunt loci ita comparati, quibus eiusmodi interpretatio nullo modo conveniat, quibus fatalia numina aut dominos Iovis aut imperii eius socios et tamquam *οἰακοστρόφους ἀνάγκης* intelligere cogamur[4]).

Iam si duas illas de fato sententias, quas supra proposuimus, principales accuratius consideramus, facile intelligimus, alteram, qua fati vim summam esse significatur, esse eorum, qui superstitioni dediti sunt, alte-

---

[3]) Klausen. Theologumena Aeschyli tragici. p. 36—49.

[4]) *Τὴν πεπρωμένην Μοίρην ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγέειν καὶ τῷ θεῷ.* Herod. I. 91.

ram, qua fati vis tollitur et vocabulorum vis in sola cogitatione collocatur, eorum, qui explicandi quadam subtilitate ducti ad rationem omnia referunt. Ab hac fati descriptione quantum veterum tragicorum et praecipue Sophoclis opinio abhorreat, antequam ad res singulas transeamus, paucis hic quasi lineamentis adumbrare conabor.

Est sane sublimis et ingens vis fati in tragoedia Aeschyli. Quantumvis homines suis viribus valeant, tamen necessitatis legibus adstricti sunt adeo occultis et obscuris, ut, quid vitare, quid sequi debeant, vix ipsi cognoscere posse videantur. In hac autem conditione exhibenda quamquam poeta homines nec destitutos libera voluntate, nec omnino insontes poenis affectos describit, tamen id maxime agit, ut necessitatis vel numinis fatalis vim summam esse et arcana quadam ratione severas suas et iustas leges exequentem ostendat. Quare apud Aeschylum hoc latissime patet, repeti scelera alia ex aliis enata vel ex longinquissimo tempore hominesque, donec omnem sceleris poenam solverint, quasi vinculis quibusdam incertis et obscuris teneri.

Ab hac Aeschyli opinione maxime differt Euripides. Is enim deorum popularium omnisque religionis contemptor tantum abest, ut omnia ab arcanis fati vel numinis divini legibus et consiliis deducat, ut ex philosophorum, imprimis Anaxagorae, mente quaecunque fiunt, ad humanam rationem viresque in natura vigentes revocare studeat.

Inter utrumque autem poetam medius est Sophocles, ita tamen, ut cum Aeschylo magis quam cum Euripide sentire videatur. Quamvis enim ab illo declinaverit, tamen veterem deorum opinionem servavit eosque summa religione coluit. Hanc vero viam peculiarem Sophocles in tragoediis ingressus est, ut eandem necessitatis vim, apud Aeschylum tam arcanam atque occultam, ipsa hominis natura et libera agendi ratione magis explicare conaretur. Quare omnes, in quas homines incidunt, aerumnae et calamitates tales apparent, quales facile vitare illi possent, si intra certos quosdam fines vel humanis vel divinis legibus constitutos continere se voluissent. Atque hi ipsi fines, quos tenere oportet hominem, admodum occulti nec satis definiti apud Aeschylum, apud Sophoclem apertius et certius descripti sunt ita, ut qui in perniciem inciderint, eos sua potius culpa, quam aliena causa inductos esse clarissime appareat.

Uterque igitur poeta et Aeschylus et Sophocles necessitatem ut vim divinam et iustis legibus omnia regentem exhibet, uterque hominem libera voluntate praeditum inducit, sed eo maxime inter se differunt, quod quae inter homines et vim illam divinam intercedit ratio, apud Aeschylum tenebris quibusdam offusa, apud Sophoclem clara et manifesta esse videtur. Uterque veterrimis ex sceleribus alia semper nova nexa esse et homines alienis malis implicatos poenas luere ostendit, eo tamen discrimine, ut alter praecipue, quam severa et sancta sit vis numinis fatalis,

quam perversa et caeca sit mens humana, alter demonstret.

Iam propius ad Sophoclis de natura humana et fato opinionem accessimus.

Est autem in universum illud monendum, omnes hominum actiones partim ex lege divina, partim ex voluntate humana aestimandas esse. Nulla unquam hominis actio aut bona aut mala haberi potest, nisi ex libera eius voluntate profecta esse iudicetur. Haec autem voluntatis libertas eo maior fit et amplior, quo altiores perfectionis gradus animus ascendit, quo rectius et melius, qualis ipsius naturae vis et habitus sit, cognovit. Certis tamen quibusdam finibus haec libertas ex lege divina circumscripta est, quos transcendere nefas est. Quidquid igitur homo acturus est, ne libertate abutatur et in licentiam abeat, sanctas illas et aeternas leges colere et observare debet. Quas ubi laeserit aut neglexerit, prohibere non poterit, quominus quibus dignus fuerit poenis serius ocius afficiatur. Atque illae ipsae leges, quae quum per universum mundum tum per singulas res omnes pertinent nec unquam mutari aut corrumpi possunt quibusque vel dei ipsi omnes, quotquot sunt, etiam potentissimi obtemperant, illa vi fati, quam Sophocles plerumque *Μοῖραν* appellat, comprehensae sunt.

Haec igitur vis fati, omnium omnino rerum domina et moderatrix, ne in mundo rerumque ordine constituto quidquam violetur, vindicem se praebet severissimam et iustissimam.

Iam vero si hanc fati vim, qualis apud Sophoclem apparet, accuratius consideramus, sane suspicari licet, esse illud quasi vestigium quoddam, quo ad pristinam et primariam illam, quam perdiderant homines, veri Dei notitiam rediisse putandi sunt. Hanc igitur notitiam aliqua saltem ex parte inter Graecos pauci illi viri denuo repererunt, qui quum populum vana superstitione captum et quasi tenebris obrutum viderent, ad altiorem quandam rerum contemplationem mente et cogitatione enisi, melius et rectius, quid inter homines et deos rationis intercederet, statuere coeperunt.

Sed quamvis illi rem penitus perspicere summopere studerent, tamen eo pervenire non potuerunt, ut fati vim deum esse putarent intelligentem, summa sapientia et iustitia res hominum gubernantem et moderantem. Quae quidem vera dei et divinae iustitiae cognitio tum demum hominibus patefieri poterat, quum Deus ipse supremus infinito suo in homines amore commotus ad terram descendit animosque nova veritatis et gratiae suae luce perfudit. Ita vero factum est, ut veteribus fatum tanquam vis rigida et inexorabilis videretur, quam precibus adorare vix auderent nullisque sacris placari posse putarent. Tota igitur hominum religio posita erat in timore, quo homines, ne rerum ordinem constitutum laederent et poenas solvere cogerentur, maxime cavebant.

Verum si quaerimus, qua praecipue via ad hanc fati notionem veteres pervenerint, praeter illam, quam

ex antiquissimo tempore fabulis et narratione translatam illi acceperunt numinis divini opinionem, diligentem et accuratam humanae naturae contemplationem plurimum eo contulisse existimandum est. Est enim illud vel maxime mentis humanae proprium, ut quas sibi inditas vires et facultates ipsa cognoverit, eas semper augere et ad certum quendam perfectionis gradum adducere studeat. Quare animo exemplar propositum est naturae omnibus numeris perfectae, de qua nec demi quidquam nec addi possit quaeque, quum potestate et viribus plurimum polleat, totius mundi et hominum dominationem exerceat.

Atque inter Graecos fieri non potuit, quin viri intelligentissimi vel ipsis religionis erroribus eo adducerentur, ut summam illam dominationem in fato collocarent. Quos enim populus colebat deos, eos omnes aut vitiis quibusdam et pravis cupiditatibus affectos aut virium quadam inopia impeditos videbant. Quare factum, ut altiore mentis cogitatione inducti eam numinis divini naturam animo informare conarentur, quae omnibus illis vitiis carens summaque potentia praedita in omnes deos populares inque ipsum Iovem dominaretur. Unde quanta veterum de fato opinio fuerit apparet, quippe qua nihil sublimius mente comprehendere potuerint.

Haec autem tanta vis fati maxime viget in Graeca tragoedia neque immerito Suevernius, vir doctissimus, in plerisque tragoediarum fabulis fatum personam principem esse affirmat, quae primas in rebus agendis

partes sustineat[5]). Quae quidem sententia quemadmodum in Sophoclem quadret, postea videbimus.

Errant igitur, qui in fabulis componendis poetas nihil nisi res publicas aut certas quasdam et novas philosophiae doctrinas aut alia eiusmodi exhibere voluisse putent. Quibus rebus quantumvis tribuerint poetae, tamen illud potissimum consilium secuti sunt, ut fati vim summam esse omnibusque in rebus humanis dominantem ostenderent.

Itaque in fabulis binae quasi partes extant, quarum altera sagit fatum, alteras natura humana[6]). Utraeque partes quum inter se oppositae sint, virium quoddam et contentionum certamen existit, ex quo necessitatis vis semper victrix decedit. Itaque homo proponitur magnis viribus et libera voluntate praeditus, qui quum fines naturae suae praescriptos transgressus sit, aut eo

---

[5]) Suevern. Absicht und Zeit der Abfassung des Oedipus auf Kolonos. Abhandlungen der berlin. Akadem. 1828. p. 7.

[6]) Das Schicksal, welches in der Tragödie walten soll, ist das durch die Schuld der handelnden Personen bedingte. Die höhere Weltordnung läßt ihre Gesetze gegen die Eingriffe des Einzelnen in ungeschwächter Kraft fortbestehen und wirken: das ist das Schicksal. Es hat auf jeden ein Recht, der auch nur den Fuß rührt, ohne der Vernunft zu folgen. Oft zwar mag der in Verwirrung befangene Mensch wähnen, seine Leiden seien ihm von des Schicksals Willkür aufgelastet, während sie tief in seinem Herzen den Ursprung haben, und seine Thaten ihn dem Schicksale überliefert haben. Das nun ist das Tragische des Menschengeschickes, daß auch unserm besten Wollen und Thun Thorheit und Verkehrtheit anhaftet, und wir alle das traurige Bewußtsein in uns tragen, daß diese Thorheit und Verkehrtheit uns nicht naturnothwendig anhaftet, sondern durch eigene Schuld und falschen Gebrauch unserer Freiheit. Wuellner. l. c.

adducitur, ut iustis poenis affectus temeritatem suam ipse agnoscat et cum supremi fati legibus et consiliis animo suo reconcilietur, aut animo fracto prorsus et afflicto intereat.

Quare tragoedia hoc maxime efficitur, ut quanta ex mentis caecitate et superbia hominibus nascantur mala et calamitates intelligamus. Haec quam vera sint, ut demonstremus, iam ad singulas Sophoclis tragoedias transeamus. In quibus primo loco ponenda est ea, quae inscribitur

AIAX.

Nam quod supra diximus, in tragoediis homines proponi, qui nimia quadam mentis insolentia capti ad mala facinora perpetranda trahantur sibique ipsi perniciem parent, id ex iis quae supersunt Sophoclis tragoediis nulla luculentius ostendit, quam qua Aiacis funestissimus exitus describitur.

Aiax, inter Graecos duces ab Achille secundus [7]), qui sola sua virtute [8]) Hectorem ingentem a navibus propulsavit cunctosque Argivos ab interitu servavit, defuncti Achillis arma sibi soli praemium deberi opinatur. Sed aemulus ei existit Ulixes, cuius fautrix et adiutrix erat ipsa dea Minerva. Haec iudicum animos

---

[7]) Il. XVII, 279 sq.:

Αἴας, ὃς πέρι μὲν εἶδος, πέρι δ' ἔργα τέτυκτο
τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

[8]) Il. XV, 409—419.

flectit, ut in armorum iudicio Aiaci Ulixem praeferant. Aiax spe sua deiectus invidia iraque afficitur, ut principum Argivorum caede iniuriam sibi illatam ulturus tentoria eorum adeat. Tum vero Minerva mentis errore eum implet et obiectis ob oculos falsis imaginibus ad armentorum stragem edendam impellit[9]). Aiax ubi trucidandi labore conquievit, et sana mente se pecora, non inimicos occidisse cognovit, comam unguibus scindit, tum furore saeviens, tum pudore subingemiscens[10]). Deinde quum turpe facinus ferre non possit, ne, quod maxime timet, hostibus ludibrio fiat[11]), se interficiendi consilium capit. A quo consilio revocare eum student Tecmessa et patriae terrae comites; sed frustra. Nam tanto ille irrisionis timore captus est, ut uxoris et chori precibus se obsequi velle simulans in locum desertum secedat ibique pectus gladio transfigat.

Initio tragoediae poeta Minervam deam inducit monstrantem Ulixi Aiacem, cui insaniam iniecerat. Unde non causa quadam naturali, sed divina opera illum insania affectum esse perspicitur. Eiusdem deae ira Aiacem ad voluntariam mortem compulit[12]). Haec ipse poeta diserte indicat. Et ea quidem, quae primo loco inveniuntur, ita sunt comparata, ut Minerva dea

---

[9]) Aiax. ed. Dindorf. Lips. 1830. v. 51—60.

[10]) v. 305—320.

[11]) v. 367: *οἴμοι γέλωτος, οἷον ὑβρίσθην ἄρα.*
v. 382: *ἦ που πολὺν γέλωθ' ὑφ' ἡδονῆς ἄγεις.*

[12]) v. 756 sq.

crudelissima esse videatur, quae miserrima Aiacis conditione gaudeat etiam ac delectetur.

Quare quaerendum est, quid tandem causae fuerit, cur dea virum illum egregium tanta ira persequeretur. Sunt, qui Minervam Aiaci propterea iratam esse putent, quod Ulixi, cui maxime favebat, consulere voluerit. Sed iniuria. Nam Sophoclem tam prave de diis sensisse, quasi sola invidia ducti homines vexarent, quin etiam ad mortem sibi consciscendam compellerent, credere nullo pacto licet[13]).

Nec probatur illud versu quem afferunt 950:

οὐκ ἂν τάδ' ἔστη τῇδε, μὴ θεῶν μέτα,

neque duobus qui subsequuntur versibus 952 sq.:

τοιόνδε μέντοι Ζηνὸς ἡ δεινὴ θεὸς
Παλλὰς φυτεύει πῆμ' Ὀδυσέως χάριν.

Quid enim nos cogit, ut his versibus ipsius poetae mentem expressam putemus? Imo sunt illa verba Tecmessae, quae maximo dolore concita vel veram divinae irae causam non perspexit, vel ut maritum expurget, quum in omnes deos, tum imprimis in Minervam culpam confert.

Itaque quum divinae irae causa in eiusmodi rebus poni non possit, restat, ut in Aiacis mores et vitam inquiramus. In qua re ipse poeta nobis multa eaque gravissima documenta suppeditat, quibus in solo Aiace omnem culpam positam esse cognoscamus. Nam Aiax tam feroci et insolenti animo fuit, ut nulli unquam

---

[13]) Ferd. Schultz. de vita Sophoclis poetae. p. 123—126.

neque homini neque deo parere vellet. Itaque omni reverentia abiecta Agamemnoni et Menelao ducibus imperium detrectavit [14]). Idem tam duro et atroci animo fuit, ut ne cognatorum quidem et amicorum sollicitudine et precibus flecti posset. Nam nocte illa, qua ad armentorum caedem tentorium relicturus erat, uxoris interpellantis vocem vix respexit [15]). Post caedem factam, quum furor cessisset, totus chorus, ut amicorum precibus obsequatur, eum obsecrat, orat et obtestatur eum inter lacrimas uxor Tecmessa, ne mortem sibi consciscat neve et uxori et filio et absenti patri tantam aegritudinem et calamitatem afferat. At ille nihil animo motus [16]) uxoris et amicorum preces vel ludibrio habere videtur, quum paulo post se misericordia captum et mitigatum iam deos sacrificio placare velle simulans in locum desertum discedat ibique pectus ferro percutiat.

Sed non solum in homines, verum etiam in ipsos deos Aiax superbivit. Nam quum domo in bellum proficisceretur, patri graviter monenti, ut cum divina ope vinceret, arroganti et stolido animo respondit, cum diis vel ignavum hominem vincere posse, se iis non iuvan-

---

[14]) v. 1069 sq.: . . . . . *οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου*
λόγων ἀκοῦσαι ζῶν ποτ' ἠθέλησ' ἐμῶν.

[15]) v. 292 sq.: *ὁ δ' εἶπε πρός με βαί' ἀεὶ δ' ὑμνούμενα·*
γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

[16]) v. 594 sq.: . . . . . *Μῶρά μοι δοκεῖς φρονεῖν,*
εἰ τοὐμὸν ἦθος ἄρτι παιδεύειν νοεῖς.

tibus suapte virtute gloriam sibi paraturum esse [17]). Itaque factum, ut ipsam Minervam, quum in proelio eum adhortaretur, hac nefaria voce increparet, opem ferret aliis, eo loco, quo ipse staret, hosti viam nullam iri patefactum [18]).

In hac superbia et insolentia eum perseverasse ipsius Minervae verbis illis patet, quibus Aiacis furoris causam indicat [19]). Idem intelligitur ex voce illa, qua Aiax extremo ante mortem temporis momento utitur, quum dicit, se jam deorum voluntati parere velle [20]). Nam ille tantum abest, ut hac voce veram mentem prodat, ut deos cavillari ea videatur. Eodemque sensu quae sequuntur verba ad Atridas spectantia [21]) accipienda sunt. Hos enim tanto odio persequitur, ut ipsa mortis hora eos execretur et diras furias invocet, quae poenas ab iis expetant [22]). Unde Aiacem sua ipsius culpa perniciem sibi parasse facile apparet.

Iam allatis paucis, sed iis certissimis indiciis ex tragoedia ipsa quaesitis, quibus poetae consilium quale fuerit intelligatur, accuratius mentem eius indagare opus erit. Hoc sane ex paucis illis locis apparet, Aiacem

---

17) v. 766 – 770.

18) v. 774 sq.: *ἄνασσα, τοῖς ἄλλοισιν Ἀργείων πέλας*
ἴστω· καθ' ἡμᾶς δ' οὔποτ' ἐκρήξει μάχη.

19) v. 127—133.

20) v. 666: *τοίγαρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς εἴκειν.*

21) . . . . *μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδας σέβειν.*

22) v. 843 sq.: *ἴτ' ὦ ταχεῖαι ποίνιμοί τ' Ἐρίνυες,*
γεύεσθε, μὴ φείδεσθε πανδήμου στρατοῦ.

periisse sua culpa. Etenim quum poenas, quae ab eo expetendae sunt, iustissimas ferre non possit, quum sibi ipsi exitium, tum suis maximam affert calamitatem. Nam postquam Ate i. e. ira deorum et insania illa fatalis, qua affectus erat, cessit, feliciorem denuo vitae conditionem intrare ei licuit; sed vetere animi insolentia iterum impulsus ea quae adsunt bona repudiat atque contemnit, adeo quidem, ut vitae praeferat mortem. Unde satis liquet, in animi eius vitiis omnem perniciei causam et fatum, quod appellamus, positum fuisse. Cui rei et ipse chorus consentit, qui ex mala eius animi indole tam acerbam calamitatem repetit. Quin ipse Aiax ubi funestissimam suam conditionem agnovit, se certis quibusdam fati suppliciis adstrictum esse fatetur; nam utitur his verbis: ... *ἄτας τὰς ἐμὰς μόρον τ᾽ἐμόν* [23]). Atque, quod hic iam monendum est, Ate illa, quae in epica poesi modo tanquam dea apparet Iovis iussa exequens ita quidem, ut hominis mentem occaecet eumque in exitium praecipitet, modo tanquam calamitas ipsa, quae ex mentis insania enascitur, quapropter apud Hesiodum Eridis filia vocatur, eadem apud tragicos poetas maximam vim exercet, hac tamen saepe diversa ratione, ut non extrinsecus agat, sed ex ipso hominis animo exoriatur tanquam vis supplicii ex peccatis, quae quis commisit, et praecipue quidem ex superbia necessario profecta. Haec igitur significatio, quae apud Sophoclem obtinet, etiam

[23]) v. 848.

in ipsis illis, quae modo commemoravi, Aiacis verbis obvia est.

Itaque exitus ille acerbissimus, quem Aiax a sole, cuncta illo aspiciente lumine, parentibus indicari cupit, ex magna illa et sublimi fati voluntate ducendus est, qua omnium mortalium peccata et scelera vindicantur, prout iustitia divina postulat. Aiax contemptu hominum ac deorum ipse se fati suppliciis commisit. A dea Minerva in furorem iniectus superbiae, qua deam exacerbavit, poenas dat iustissimas; furore illo sedato quum veterem animi insolentiam non abiiciat, sed homines ac deos negligere perseveret, ipsius fati suppliciis obnoxius fit, ita quidem, ut eodem ipso die, quo post Minervae persecutionem, si spiritus coercere voluisset, servari ab interitu posset, tamen intereat nec humana ope protegatur. Qua poena illud ipsum, quod in fabula tragicum appellare solemus, efficitur. Idque chorum animo penitus persentire ex his versibus facile patebit:

ἔμελλες τάλας, ἔμελλες χρόνῳ
στερεόφρων ἄρ᾽ ἐξανύσειν κακὰν
μοῖραν ἀπειρεσίων πόνων.

Itaque Aiax contumelia, qua a Minerva affectus est, deae offensae, morte vero, quam sibi ipse conscivit, fato irato poenas luit.

Hac autem poena ab Aiace petita et dei et homines placati videntur. Unde fit, ut in fabulae exitu in ipso Aiacis funere ii ipsi, qui ab eo maxime antea offensi erant, reconcilientur, ut Ulixes, adversarius acer-

rimus, veteris, quae Aiacis insolentia maxime enata erat, acerbitatis finem in perpetuum statuat.

PHILOCTETES.

Ut in Aiace summam iustitiam repraesentari vidimus fato, ita in Philoctete fato numen illud designatur, quod mundum regit ac gubernat, ut non homines tantum, verum etiam dii eius arbitrio obnoxii sint eiusque potestatem agnoscere cogantur.

In explicanda autem huius tragoediae ratione mirum quantum inter se discrepant virorum doctorum iudicia. Fuerunt enim qui poetam Philoctetae persona nihil nisi hominem ingentibus corporis doloribus cruciatum ante oculos ponere voluisse contenderent. Quae quidem sententia quam falsa sit, facile quivis intelliget, qui veram tragicae poesis rationem ac naturam perspexerit. Corporis enim dolor, vulnus morbusve, nisi animum quoque tangit, tragoediae argumentum esse nullo modo potest. Quare recte Lessingius ait, Sophoclem in Philocteta corporis dolore eiulatu expresso alium in nobis animi motum excitare voluisse [24]).

Inepte alii Philoctetam eam ob causam tantis cruciari doloribus contendunt, quod tam graviter queratur, quod longissime a vero abesse vix est quod moneatur.

Bernhardius de hac tragoedia haec affert: Die Stärke dieses Stückes liegt in der meisterhaften Charak-

[24]) Lessing. opp. Lips. 1841. tom. VI. pag. 40.

teristik, und nur aus ihr entwickelte Sophokles jenen Reichthum spannender Motive, welcher einen an sich beschränkten Stoff in immer neue Wendungen verflicht; und doch zügelt er sie mit so kluger Sparsamkeit, daß aus der bloßen Gegenwirkung dreier Charaktere ein vollkommener Kreislauf innerer Zustände hervorgeht. Ihr Mittelpunkt ist Philoktetes ... [25]). Quae quamvis vera sint, tamen ad explicandam tragoediae rationem ac naturam sufficere minime possunt. Nam solo eiusmodi certamine personarum ingenio ac natura tantopere inter se differentium tragoediae huius diiudicari rationem non posse facile intelligitur, praesertim quum non personae ipsae, sed deus ex machina ad actionem explicandam et ad finem perducendam plurimum conferat.

Sed ut propius accedamus ad ea, quae de tragoediae ratione dicturi sumus, primum monendum videtur, non casu et fortuito doloribus cruciari Philoctetam, sed divinitus morbum immissum esse. Philoctetae enim, socio et amico, Hercules moribundus arcum et sagittas tradiderat. Cum ceteris Graecis adversus Troiam profectus, dente serpentis, sacri loci custodis, in talo vulneratus est et quum lamentis et gemitibus sacra suorum turbasset, Ulixis et Atridarum iussu in Lemno exponitur. Inde morbus ille a poeta *Κῆρ* h. e. malum a divino numine immissum appellatur [26]). Neque tamen solo vulnere cruciatur; augetur miseria so-

---

[25]) Bernhardy. Grundriß der griech. Litter. II. p. 816.

[26]) Philoct. ed. Dindorf. Lips. 1830. v. 42. 1166.

litudine. Sed quamvis omnia ad perdendum Philoctetam conspirent, non tamen frangi ulla re eius animi constantia potest. Post novem enim annorum miseriam aut adiuvando inimicos e malis emergendi et Troiae excidio immortalem adipiscendi gloriam, aut morbo aerumnaque tabescendi optione data non desciscit a sese, sed in proposito susceptoque permanet consilio, quin etiam armis Herculis privatus omni spreto consilio [27]) inimicis suis pestem exitiumque imprecatur [28]). Propter hanc ipsam animi constantiam ac firmitatem Philoctetes dignus videtur, quo fatum ad decreta exequenda utatur, ut armis Herculeis Troiam urbem evertat. Quare Alcides Philoctetae sortem comparat suae eique praedicit fore, ut tot tantisque exantlatis laboribus ac malis gloriosa vita fruatur [29]). Quodsi Philoctetae mala a sola hac altioris, ad quam destinatus est, sortis conditione suspensa existimemus, facile, cur tot et tantis malis afficiatur, intelligi possit. At vero mala et cruciatus etiam ad spiritus reprimendos ei immissa sunt. Philoctetae superbia ac contumacia eo cernitur, quod deos iniustitiae et malitiae accusat [30]) atque adeo de consilio decessurum se negat, etiamsi Iuppiter ipse fulmine terreat [31]). Sed quum sortis suae nescius et doloribus tantum commotus deos accuset

---

[27]) v. 1163—1175.
[28]) v. 1040—1044. v. 1285 sq.
[29]) v. 1421 sq.
[30]) v. 446—452 (*τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς.*)
[31]) v. 1198.

neque sua natura suoque ingenio superbus sit atque contumax, non ut Aiax interit. Philoctetae enim mens pietate deorum imbuta est; hos sancte veneratur, eorumque voluntati obsequitur. Quum enim neque Heleni verbis neque Ulixis dolo neque Neoptolemi exhortatione nec denique armorum amissione vinci possit, simulatque dei agnovit vocem, quae in fatis essent, pronunciantem, mutato animo laetus facit, quod antea facere noluit, idque ipso temporis momento, quo ei in patriam redire suosque revisere licet. Quodsi non cessisset fato, sed suam ei voluntatem opposuisset, superbiam expiasset [32]; cedendo convalescit, adeo ut animo auctus et sorte sua contentus ipsum locum, ubi tantos dolores perpessus est, gratissimum dicat et supremam fati voluntatem laudando celebret [33]. Erat igitur fati decretum, ut post certos annos Troiae excidium pararetur a Philoctete Herculis armis invictis [34]. Quod decretum ut in rebus humanis expleatur quum aeterni numinis leges postulent [35], deus quasi ministerio fati fungitur, utqui prohibeat, ne Philoctetes in patriam revertatur. Atque Philoctetes, quocumque vocavit *ἡ μεγάλη Μοῖρα,* animo nihil renitente sequitur [36]. Quare

---

[32]) v. 1095 sq.

[33]) v. 1466.

[34]) v. 610—613. v. 1335: *ξὺν τοῖζδε τόξοις, ξὺν τ'ἐμοὶ πέρσας φανῇς.* cf. 1340 sq.

[35]) v. 1340 sq.: *ὡς ἐστ' ἀνάγκη τοῦ παρεζῶτος θέρους*
Τροίαν ἁλῶναι πᾶσαν.

[36]) v. 1466.

ei obtingit, ut quod maxime animo cupivit, salutem et quietem assequatur.

Versu 776 eo adducimur, ut quid de invidia deorum statuendum sit, inquiramus. Quae quidem quaestio hic idcirco instituenda est, quod nonnulli in eam opinionem inciderunt, ut Sophoclem φθόνον deorum quasi divinam quandam personam finxisse et coluisse arbitrarentur [37]. Hoc vero pernegandum est. Nam si fecisset poeta, Invidia deorum tanquam potestas quaedam habenda foret perniciosa liberaeque hominum voluntati prorsus opposita. Tota autem haec opinio inde enasci facile potuit, quod dei, quamvis superiores illi et viribus et felicitate et aeternitate [38], tamen iidem communem cum hominibus originem habere putabantur [39]; unde fiebat, ut invidia quadam ducti id maxime prohiberent, ne quis mortalium nimia potentia sua et felicitate usus ad fastum et superbiam inflaretur [40]. Hinc dictum illud notissimum: πᾶν θεῖον εἶναι φθονερόν [41]. Quae sententia ad fatum ipsum referri non potuit, nisi altiore eius, quam supra descripsimus, notione sublata.

Iam si quaerimus, qualem tragici poetae φθόνου notionem animo informaverint, constat apud Aeschylum

---

37) cf. Eichhoff: progr. gymnas. Duisburg. 1846. p. 13.

38) cf. Mueller: Lehre von der Sünde. I. pag. 265.

39) Pind. Nem. carm. VI., 1—3: Ἓν ἀνδρῶν ἓν θεῶν γένος· ἐκ
μιᾶς δὲ πνέομεν
ματρὸς ἀμφότεροι.

40) Ilias. XVII, 71. XXIII, 865.

41) Herod. I, 32. III, 40. VII, 10, 5. cf. VII, 46.

vim illam quasi primitivam valere, qua invidia deis attributa est [42]). Atque hac in re ne Euripides quidem, quamvis in aliis longius ab Aeschylo discesserit [43]), vetustatis opinionem abiecit [44]). At Sophocles deorum invidiae nullam mentionem facit, ne in ea quidem fabula, ubi praecipue ea uti potuit, in Aiace. In fabula, quae Electra inscripta est, Aegisthus quidem pronuntiat, Orestem deorum invidiae fortasse succubuisse, sed ipse hac cogitatione sua adeo percutitur, ut ad vocem revocandam paratus sit [45]). Itaque apud Sophoclem unus tantum, quem supra attulimus, locus restat quasi tenue quoddam vestigium, quo quis ut deorum invidiam ab eo receptam esse putet inducatur. Sed qui totius sermonis, qualis ibi habetur, vim et tenorem accuratius consideraverit, locum ita comparatum inveniet, ut Neoptolemus moneatur, ne arreptis armis Herculeis superbia intumescat deosque sibi iratos reddat. Qua in re quamquam concedendum est supplicium, cui superbus homo obnoxius fiat, facile et pro superiorum poetarum et pro vulgi opinione tanquam deorum invidiam apparere, tamen tenendum est, Sophoclem id agere, ut invidiae illi omnis vis et potestas eripiatur et omne supplicium ipsius humani criminis naturae consectarium esse ostendat. Neque est ulla causa, cur

---

42) Aesch. tragoed. ed. Dind. Lips. 1830. Ag. 466—471.

43) cf. Klausen. theolog. Aesch. trag. p. 8.

44) Eurip. tragoed. ed. Dind. Lips. 1830. Alc. v. 1135:

. . . . φθόνος δὲ μὴ γένοιτό τις θεῶν.

45) El. 1467: . . . . εἰ δ'ἔπεστι νέμεσις, οὐ λέγω.

invidiam cum fato ipso coniunxisse eum credamus. Unde Sophoclem id maxime curasse apparet, ut in tanta et fati et deorum potestate ac dominatione tamen liberam hominum voluntatem tueretur atque ex iniusto libertatis usu nimiaque mentis audacia et temeritate omnem humanarum rerum ruinam repeteret.

TRACHINIAE.

Etsi saepissime in hac fabula Herculis eiusque rerum gestarum et laborum fit mentio, non tamen princeps tragoediae huius persona esse videtur atque demonstrare conabimur neque in Alcidae peccato eiusque poena, ut nonnullis viris eruditis placuit [46]), neque in vita eius laborum plena et morte, qua finiuntur labores, ut aliis iisque doctissimis viris visum est [47]), neque in matrimonii sanctitate [48]) positum esse tragoediae fundamentum.

Neque enim ullo tragoediae loco Herculem ipsum agentem videmus, contra Deianira in initio statim fabulae ita inducitur omninoque per totam tragoediam ita se gerit, ut primas eam partes agere negari vix possit. Quae quum ita sint, ex eius persona totius tragoediae naturam ac rationem eliciendam esse verisimile

---

[46]) Iacob. Quaestion. Sophocl. p. 352 sqq.
cf. quoque: Hermann. Soph. Trach. in praef.

[47]) Suevern. Histor. u. polit. Anspielungen in der alten Tragödie. Abhandlungen der berl. Akademie 1824.

[48]) Progr. gymnas. Merseb 1844.

est. Postquam enim Deianira exitium coniugi paratum cognovit, omni spe abiecta:

. . . . ὧν ἐγώ, inquit, μεθύστερον,
ὅτ' οὐκ ἔτ' ἀρκεῖ, τὴν μάθησιν ἄρνυμαι [49]).

Quumque antea leviter dixerit:

. . . . ὡς σκότῳ
κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ' αἰσχύνῃ πεσεῖ [50]),

iam temere atque imprudenter se fecisse videns,

οὐκ ἔστιν, inquit, ἐν τοῖς μὴ καλοῖς βουλεύμασιν
οὐδ' ἐλπίς [51]).

Deianirae igitur calamitate, quam ipsa peperit, quaeque et ipsi et coniugi exitio est, tragoediae argumentum positum esse videtur; et ut Oedipum regem, ita Deianiram quoque documento esse voluit poeta, temeritate et inconsiderata agendi ratione homines in perniciem incurrere.

Iam ut ad singula, quibus haec nostra de Trachiniis sententia comprobetur, transeamus, primum Deianiram sollicitam esse videmus discedente Hercule, qui quum antea laetus ad magna facinora patranda domo proficisci solitus sit, iam interitum animo praesagiens tristiumque memor oraculorum [52]), quae Deianira ipsa mox eventum habitura sentit [53]), ab uxore discedit. Inde fit, ut ipsa metuat Alcidae [54]) quumque re-

---

[49]) Trachin. ed. Dind. Lips. 1830. v. 710 sq.
[50]) v. 596 sq.
[51]) v. 725 sq.
[52]) v. 155—172.
[53]) v. 173 sq.
[54]) v. 36 sq. v. 46—49.

ditum eius praestituto tempore frustra expectaret neque ullum de marito nuntium acciperet [55]), augetur eius anxietas et sollicitudo. Praeter expectationem deinde certior facta Herculem redire victorem atque incolumem, quum simul Ioles amore raptum eum audisset, memor accepti a Centauro veneni, quo sibi coniugis servare amorem posset, a prudentia sua et constantia mentis, qua alias eam excellere videmus, ita desciscit, ut, quae Nessus, acerrimus Herculis inimicus, suasit, temere faciat [56]). Deinde postquam inconsiderate se fecisse cognovit, eiulat et lamentatur [57]) quumque sero facti eam poeniteat [58]), manum sibi inferre constituit [59]). Eodem acta furore quum averti periculum posset, spreto chori prudenti consilio [60]) sibi suisque exitium parat. Ipsa se magnorum malorum causam esse sentit [61]) atque identidem poeta dicit Deianiram peccasse [62]).

Itaque in fati potestatem venit Deianira, quam moriens agnoscere cogitur [63]). Videmus igitur temere agendo eam magnum sibi malum contraxisse, quod malum si ferentem eam ac superantem faceret poeta, fati iustitiae insultaret. Morte autem, quam meruit, expiatur [64]).

---

55) v. 40 sq. v. 44 sq.
56) v. 680—688
57) v. 633 sq. v. 712 sq.
58) v. 712 sq.
59) v. 719—722.
60) v. 592 sq.
61) v. 729 sq. v. 712 sq.
62) v. 1123. v. 1136.
63) v. 910.
64) cf. v. 1134.

Sed ne quis obiiciat, multis tragoediae locis effici posse, quum Herculi fato destinatum fuisset, ut hac, non alia ratione mortem oppeteret, Deianiram caeco quodam fato actam fecisse, quae fecerit, monendum videtur, etsi diu praedictum fecerit Herculi, non ab homine vivente, sed a mortuo domitum eum ad inferos descensurum [65]), tamen Deianiram neque necessitate coactam vim habuisse ad mariti sortem, neque, si prudenter egisset, mortis eius causam futuram fuisse. Ipsam se sentiens peccasse, ipsa desperata salute mortem sibi consciscere constituit.

Quum in nulla alia Sophoclis tragoedia aeque magnus hominum numerus morte opprimatur, poetam id agere videmus, ut pravam libidinem, imprudentiam superbiamve omnium malorum atque imprimis mortis causam attulisse ostendat. Nessus enim, Centaurus iste libidinosus, eo ipso momento, quo Herculis uxorem impuris manibus attrectat, sagitta transfigitur [66]); Hercules ipse vitioso amore, quem ipse occulere studet [67]), sibi suisque exitium parat [68]); Eurytus, quem ob Herculis libidinem interisse suspicari possis [69], superbia sua ipse sibi struit calamitatem [70]); denique ne Lichas

---

[65]) v. 1159—1161.
[66]) v. 565—567.
[67]) v. 359 sq.
[68]) Quod quidem ex chori verbis manifesto constat. cf. v. 893—895. v. 860 sq.
[69]) v. 353 sq.
[70]) v. 281 sq.

quidem, quem vehementer vituperat chorus [71]), culpa vacuus est.

Itaque hac quoque tragoedia suis homines perniciem suam debere facinoribus malorumque omnium et interitus causam esse ipsorum imprudentiam ac libidinem demonstratur.

ELECTRA.

Non caeco gubernari fato res humanas, sed eam cuiusque mortalium sortem esse, quam liberae voluntatis usu sibi pepererit, nulla alia tragoedia Sophocles clarius apertiusque, quam ea, quae Electra inscribitur, declarat; eaque re plurimum differt haec tragoedia ab Aeschyli trilogia, ut iure dixeris, Sophoclem voluntatis humanae libertatem defendere voluisse contra Aeschylum. Etsi apud Aeschylum hominum impiorum poena divinae satisfieri iustitiae negari minime potest, ea tamen eiusmodi iustitia est, quae hominum voluntatem liberam esse non sinat. Contra ea apud Sophoclem iustitia illa, quae iniquitatis humanae poenas requirit, quum ita voluntatis libertatem agnoscat, ut cuivis facinorum suorum sive bonorum sive malorum reddenda sit ratio, iis, qui immerito et culpae exsortes malis afflictantur, spei ac solatii fontem aperit. Aeschylus a diis agitari facit Agamemnonem, quippe culpa minime vacuum [72]) nec superbiae aut cupiditatum expertem,

---

[71]) v. 383 sq.

[72]) Aesch. trag. ed. Dind. Lips. 1830. Ag. cf. v. 457—474.

quum filiae quoque mors choro iudice eius ambitioni debeatur [73]). Unde fit, ut multo libentius indulgeamus Clytaemnestrae facinori, cuius praeterea in coniugem odium Cassandrae consuetudine excusatur [74]). Huc accedit, quod fati vi quadam atque impetu adversus Agamemnona exagitatur [75]). Cui quum resistere non potuerit mulier, Orestes matris caedem recusat et extremae demum poenae comminatione, ut matrem occidat, commoveri potest [76]). Ita Orestes quoque quamquam perficiendis fati consiliis invitus inservit, tamen quum Furiis miser agitetur, facinus eius improbum ac poena dignum apparet.

Longe aliter res se habet in tragoedia Sophoclea. Hic enim videmus et satisfieri divinae iustitiae et voluntatis libertatem obtineri. Nam quum Agamemnonem culpae expertem faciat poeta, Clytaemnestrae facinus foedissimum atque atrocissimum apparet neque excusationis quidquam habere potest. Quamvis enim Clytaemnestra, coniugem, quod filiam praebuerit immolandam, interisse contendat [77]), tamen Electra ea, quae mater conscientiae angore ac sollicitudine vexata pro-

---

[73]) Ag v. 222—225: *βροτοῖς θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις*
τάλαινα παρακοπὰ
πρωτοπήμων. ἔτλα δ' οὖν
θυτὴς γενέσθαι θυγατρός . . . .

[74]) Ag. v. 1438—1447.

[75]) Ag. v 1498—1504. ibid. 1507 sq.

[76]) Choeph. v. 269—297. Hier tritt wirklich Zwang durch eine obere Macht ein. Bluemner. l. c.

[77]) El. ed. Dind. Lips. 1830. v. 530—533.

fert, ita refutat, ut facinus eius nequaquam excusari posse appareat. — Agamemno per imprudentiam Dianam offenderat. Quam ob causam sistente ventos dea Agamemno „βιασθεὶς πολλὰ κ' ἀντιβάς“ filia immolanda scelus expiare cogitur. Clytaemnestra non solum libidine ad patrandum scelus impellitur [78]), sed tanta eius adversus deos liberosque impietas est, ut sibi et adultero sceleris fructum ab Apolline precibus impetrare velit [79]), ut Electrae exprobret, quod Orestem fratrem a caede servaverit [80]), ut in vincula se eam coniecturam esse minitetur [81]). Neglectis filiae lamentis ac lacrimis diem, quo Agamemno caesus est, celebrat; morte filii nuntiata gaudio exultat [82]) neque ullum cernitur poenitentiae vestigium. Itaque Sophocles rem ita instituit, ut omnia ad augendam illustrandamque Clytaemnestrae culpam conspirare videantur. Eodem pertinet illud, quod Clytaemnestrae occisae sanguinem manes vel dudum peremptorum avide haurire dicuntur [83]). Quivis igitur facile intelligit nefandam mulierem eo, quod coniugis caedem dicit iustae deorum irae deberi [84]), suam excusare culpam cruciatumque, quo post patratum scelus angi eam necesse erat, lenire velle [85]).

---

[78]) El. v. 558—605.
[79]) v. 644—656.
[80]) v. 601—604.
[81]) v. 379—382. cf. 626 sq.
[82]) v. 791. v. 793.
[83]) v. 1419—1421.
[84]) v. 528. ἡ γὰρ Δίκη νιν εἷλε.
[85]) v. 780—782.

Quod autem chorus dicit, deum fortasse quendam Clytaemnestrae manu ad interficiendum Agamemnonem usum [86]), ne id quidem nostrae sententiae adversari facile perspiciet, qui saepissime apud Sophoclem errore implicatum esse chorum eiusque illam de Clytaemnestrae facinore opinionem tota tragoedia confutari reputaverit [87]).

Aegisthus Clytaemnestrae facinorum particeps est [88]), nec minus, quam ista mulier insolentia, iniustitia, intemperantia insignis et civibus invisus [89]). Quo fit, ut eundem quem illa exitum habeat.

Contra Electra talis inducitur, ut, quum Clytaemnestrae et adulteri poenam a diis petat itaque numinis divini iustitiam agnoscat, eius probitate ac pietate illorum augeatur atque illustretur turpitudo. — Furiae apud Sophoclem tanquam Clytaemnestrae flagitiorum ultrices inducuntur; Orestes, quem Aeschylus fingit matri per quietem videri draconem et ad suam ipsius perniciem atque interitum nutriri, egregia Pelopidarum stirpis progenies omnisque culpae expers est. Eius praeclaro facinore Atrei stirps malis illis et calamitatibus, quibus diu vexata est, tandem liberatur. Itaque tragoedia Sophoclea perniciosam illam Aeschyli sententiam:

---

86) v. 199.

87) cf. v. 198: *δόλος ἦν ὁ φράσας, ἔρος ὁ κτείνας.*

88) v. 587 sq.

89) v. 1458—1463.

ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας
χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προσαιτεῖν
αἷμα [90]).

ita mutatam esse, ut prorsus contraria esse videatur [91]), facile intelligitur.

Nec culpa tantum vacuus est Orestes, sed ne coactus quidem ab ullo numine; neque enim Apollo, ni matrem occidat, poenas minitatur, sed modum tantum tempusque, quo patranda caedes sit, indicat, ut, quae impietatem poenae sequantur, appareat [92]).

Unus est locus, qui sententiae nostrae adversari videatur. Versibus enim 1424 sq.:

. . . τά γ' ἐν δόμοισιν μὲν
καλῶς, Ἀπόλλων εἰ καλῶς ἐθέσπισεν·

statim post patratam matris caedem Orestes ipse, ne scelerate fecerit, timere videtur. Qua tamen religione mox liberatur eo, quod auctore Apolline se egisse persuasum habet. Quare si quid peccavit Orestes, id non cadit in ipsum, sed in deos, qui, ut aeternae iustitiae mandata exequeretur, eum impulerunt.

Quae quum ita sint, nihil est quod impediat, quominus poetam id praecipue spectare credamus, ut ostendat fati vim summam et iustissimam ad omnes res humanas pertinere et ita quidem, ut quidquid mortales sceleris commiserint, puniat et nimias hominum

---

90) Choeph. v. 400—403.

91) El. v. 582 sq.: εἰ γὰρ κτενοῦμεν ἄλλον ἀντ' ἄλλου, σύ τοι πρώτη θάνοις ἄν, εἰ δίκης γε τυγχάνοις.

92) v. 1383 sq.

cupiditates suis quasi sanctis et aeternis legibus coerceat. Quam sententiam in extrema fabulae parte chorus ipse fato Clytaemnestram et Aegisthum perire dicens apertissime pronuntiat ita, ut fati vis ac potentia quasi triumphans inducatur:

ὦ γενεὰ τάλαινα, νῦν σε
μοῖρα καθαμερία φθίνει, φθίνει[93].

OEDIPUS REX.

Quod olim multi opinati sunt, Oedipi regis fabula maximam et paene horrendam vim fati declarari, id etiamnunc nonnullis viris doctissimis placere videtur. Itaque, ut hi quidem existimant, caeca vis fati nulli omnino homini parcit, ne optimo quidem et innocentissimo, qualis Oedipus habendus sit. Oedipum aiunt omnibus viribus eniti, ut fatum effugiat, sed hac re ipsa accelerari eius perniciem. Nam ipso fato, cui obsistere nemo possit, impelli eum ad scelus patrandum, quo semet ipse perdat necesse sit. Nullam igitur in Oedipo cerni voluntatis libertatem, qua, quod malum sibi impendere ipse cognoverit, cavere possit. Quare fabulae sententiam hanc esse volunt praecipuam, hominem, quum sui iuris non sit, ne perfecta quidem rerum cognitione optimoque consilio scelus vitare posse, sed parere eum fato tanquam caecum, qui ducem, etiam

---

93) v. 1413. cf. v. 1448:

. . . . συμφαρᾶς γὰρ ἂν
ἔξωθεν εἴην τῶν ἐμῶν τῆς φιλτάτης.

quo nolit, sequi cogatur. Summam autem vim fabulae eo contineri dicunt, quod Oedipus eo ipso tempore intereat, quo vix quidquam ipse supplicium suspicatus sit [94]).

Cui quidem opinioni, pravae sane ac perversae, haec opponenda esse puto. Quamquam hac fabula magnam vim fati ostendi negari nequit, nihil tamen ea differt ab aeterna illa et sanctissima quam supra significavimus iustitia, cuius legibus omnia in mundo pareant oportet, quoniam a supremo numine divino ita decretum est. Quae iustitia severa est et mortalibus timenda, praesertim quum homines tam infirmi sint tamque proni eorum animi ad errores et vitia. Huic iustitiae poenas luit Oedipus propterea, quod ipse animi quadam temeritate ductus, antequam ageret, nec deliberavit, ut par erat, nec errores, quos ipse sensit, plane discutere studuit.

Non minor est apud Sophoclem Laii inconsiderantia ac temeritas. Immoderata animi libidine ductus Chrysippum, Pelopis filium, rapuit; quare pater ipsi

---

[94]) Bernhardius l. c. p. 806: Sophokles hat in dieser durchaus eigenthümlichen Schicksals-Tragödie den Fatalismus des rohen Mythus erschöpft und seine grauenhafte Wahrheit künstlerisch entwickelt ..... Vielleicht mißfiel den Athenern ein so widerwärtiger Standpunkt, als sie dem Philokles den ersten Preis ertheilten.

Schneidewin. Oed. Tyr. p. 17: Der nun einmal den Göttern verhaßte Oedipus bestätigt den Volksglauben, daß Manchem trotz des besten Willens nichts gelinge, weil er den Göttern zuwider sei; ein Glaube, der aus der Beobachtung des oft schreienden Abstandes zwischen Verdienst und Schicksal entsprang. cf. ib. p. 17 & 27.

posterisque pestem ac perniciem imprecatur. Inde Laii et Jocastae matrimonium prole caruit; quumque Laius hac de re oraculum consuluisset et, si filium procreasset, ab eo se necatum iri responsum tulisset, eo quod neglecta sorte filium procreat eoque exposito malum a deo praedictum effugere conatur, suam in perniciem incurrit. Ita meruisse eum sortem suam quis est qui neget?

Difficilior de Oedipo quaestio est, quem fati vi quadam, ut patrem occideret, coactum et iusto ob id facinus dolore ad exilium vocatum esse facile quispiam contendat. Quae difficultas quo melius expediatur, primum meminisse velim lectorem eorum, quae initio huius disputationis de fati notione inde ab antiquissimis temporibus tradita tanquam summi numinis in deos hominesque dominantis dicta sunt. — Quodsi quis eam, quae est in veterum seriptorum libris, umbram veritatis cum iis, quae de hac re christiana doctrina docemur, contulerit, haud difficulter intelliget, Oedipi sorte significari illam, quam christiana religio docet veritatem, liberos patrum facinoribus devinctos esse et posteris quoque poenas dandas esse eorum, quae maiores deliquerunt. Neque tamen maiorum culpa quisquam invitus ipse vitiis contaminatur; imo suam quisque vitam ad rectam normam instituere et ad virtutis praecepta accommodare potest. Ita qui peccat, quum sua culpa peccet, eum malorum, quae ex facinoribus nascuntur, sibi ipsi attribuere causam debere manifestum est. Etsi deum compertum habemus quae futura sunt

scire, non tamen, quae nos facturos esse mundi rector praevidet, eadem facere cogimur, nec si quis malo facinore sibi exitium parat, eo facinus committere cogitur, quod deus scelestum eum fore praevidit, sed summum numen perverso liberi arbitrii usu periturum eum praevidisse putandum est.

Iam vero, ut eo, unde profecti sumus, revertamur, quum non debere interfici, sed interfectum iri Laium oraculum praedixisset, patris caedes Oedipo, non fato tribuenda est neque ille omnia fecisse, quae facere potuerit ad evitandam perniciem, sed quacunque potuerit ratione, ut dei vaticinia eventum haberent, effecisse putandus est. Qui quum Deum Delphicum, quo patre natus esset, interrogavisset, isque hac neglecta interrogatione praedixisset fore ut cui vitam deberet, eum necaret et matrem duceret in matrimonium, Thebas revertens prima occasione oblata caedem fecit. Inde postquam homicidii expiationis, quam religio fieri iubebat, immemor perrexit Thebas, victa Sphinge matrem suam uxorem duxit.

Itaque quis neget, imprudenter atque inconsiderate fecisse Oedipum, qui quum sorte, quae futura essent, comperisset, tamen ita ageret, quasi, ut eventum haberent vaticinia, efficere vellet? Homo tam acris acutique ingenii, ut Sphingis aenigma solveret, sibi ipsi consulere nescit; quum caedem ac matrimonium reformidare dei sorte monitus debeat, a neutro cavet.

Imprudentia, iracundia[95]), falsa suspicio[96]), ardor impotens animi[97]), superbia[98]), levitas mentis atque inconstantia eo adigunt Oedipum, ut stulte agat parumque suae prospiciat saluti; modo deos irridet ac ludibrio habet[99]) modo ne eventum habeat oraculi responsum metuit[100]). Itaque Oedipus, homo perspicax et multi consilii, quum immoderata feratur perturbatione animi, mentis errore afficitur ita, ut temere agat, antequam causas, quas sequatur, habeat perspectas; patris interfectores indagat, quia suae vitae timet[101]); devitat Corinthum, ne Polybum interficiat, quem, si Apollinis oraculum satius secum reputasset, non esse patrem suum cognoscere facile potuit[102]); fugit urbem, non caedem, execratur Laii interfectores, sui ipse facinoris immemor[103]). Ita quaecumque facit caliginem animo eius offusam esse demonstrant; quare, postquam sibi malorum suorum causam attribuendam esse cognovit, quod non viderit, quae videre debuerit[104]) fractus atque oppressus malis oculorum lumine se privat.

---

95) Oed. Rex ed. Dind. Lips. 1830. v. 334. 345. 430 sq. 807.
96) v. 378, 380—390. 532—542.
97) v. 623. 1154.
98) v. 549.
99) v. 964—972.
100) v. 988.
101) v. 139 sq.
102) v. 793.
103) v. 236—243.
104) v. 1271—1274.

. . . . . Αἱ δὲ τοιαῦται φύσεις
αὐταῖς δικαίως εἰσὶν ἄλγισται φέρειν[105]).

Sed hac re ipsa demonstrat se ita affectum esse animo, ut mentis lumine careat[106]), quare μανίαν ei tribuit chorus[107]). Itaque non expiatur caecitate, sed iis, quibus vexatur malis novum addit ipsa morte gravius atque acerbius, quod oculorum acie se privavit. Hoc quoque sibi ipse contraxit malum, quare choro interroganti, a quo deo oculis privatus sit, ipsum se illud fecisse respondet[108]). Quamquam negari non potest aliis locis[109]) eundem, ut antea caedem patris torique contaminationem, ita caecitatem quoque infenso numini tribuere. Sed praeterquam quod eam rem ita describit poeta, ut falsam eam esse neque quidquam inde misero solatii redundare appareat, Oedipus ipse cogitur fateri ipsum se illud sibi malum intulisse[110]).

Neque Iocaste tristem exitum non meruit. Tanta enim in ea est levitas animi et perversitas, ut in horam vivat[111]), ut deorum vaticinia irrideat[112]), ut glorietur, quod sensum habeat a religione alienum[113]), ut

---

105) v. 674 sq.
106) v. 1252—1274. O. C. 438 sq.
107) v. 1299 sq.
108) v. 1331: ἔπαισε δ' αὐτόχειρ νιν οὔτις, ἀλλ' ἐγὼ τλάμων.
109) v. 1329. 1346.
110) v. 1400—1408.
111) v. 979.
112) v. 708—725. 857 sq. v. 946—949.
113) v. 973.

verum agnoscere nolit, quod in promptu est[114]). Quid mirum, si infelix mulier, postquam miseriam suam penitus agnovit, acerbissimo ac non ferendo propter perversitatis suae conscientiam dolore cruciata ipsa sibi mortem consciscit[115])?

Iam si respexeris ad ea, quae de tragoediae nostrae personis dicta sunt, facile reperies, rationem eius illis chori verbis expressam esse, quibus summi fati vindictam timendam esse dicit ei, qui factis dictisve insolenter se gerat ultricem iustitiam non veritus nec divum sedes, qui ab impiis non abstineat factis nec a non tangendis manus cohibeat demens[116]).

Itaque ne in hac quidem tragoedia ea fati ratio est, ut liberam esse hominum voluntatem non sinat, sed haec eius vis est, ut idem fere valeat, quod summa numinis divini iustitia[117]) timenda omnibus, quicunque temere atque inconsiderate faciunt nec consilio ac ratione se regi patiuntur, sed motibus animi perturbatis ad agendum

---

114) v. 1060 sq. 1064

115) v. 1241—1251. v. 1263 sq.:
οὗ δὴ κρεμαστὴν τὴν γυναῖκ' ἐςείδομεν
πλεκταῖς ἐώραις ἐμπεπλεγμένην.

116) v. 863—865: *Εἴ μοι ξυνείη φέροντι*
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων
ἔργων τε πάντων.
v. 883—891: *Εἰ δέ τις ὑπέροπτα χερσὶν,*
ἢ λόγῳ πορεύεται,
Δίκας ἀφόβητος, οὐδὲ
δαιμόνων ἕδη σέβων
κακά νιν ἕλοιτο Μοῖρα . . . . .

117) v. 863—891.

impelluntur, ita ut optime Wuellnerus dixisse videatur [113]), doceri hac tragoedia eos tantum effugere culpam ac perniciem, quorum nec depravata voluntas esset, nec mores vitiosi.

OEDIPUS COLONEUS.

Humani generis nondum a deo veritatem edocti conditio non peccatis tantum et culpae conscientia immissisque divinitus, quibus mala facinora punirentur, malis, sed eo maxime miserrima fuit, quod nemo satis persuasum habebat, poenitendo sese vitaque et moribus emendandis numinis divini iram placare posse. Itaque fatum severissimum putabatur nec patebat ulla ratio, qua homines cum diis reconciliari posse viderentur. Sed tamen illius plenae solatii veritatis, qua divinitus edocti compertum habemus, homines quidquid deliquerint vita commutata deum poenitentia placare et delictorum veniam impetrare posse, quasi umbra quaedam in ea tragoedia, quam nunc tractare in animo est, apparet. Hanc enim videbimus eius rationem esse, ut inde discas, fatum, quo summa iustitia repraesentatur, non ita persequi mala facinora, ut satisfieri ei nisi interemptis hominibus non possit, sed spei locum esse fore ut quicunque abiecta animi perversitate modeste ac verecunde fati venerando numini se submiserit, a pernicie exitioque vindicetur. Quod

[113]) l. c. p. 6.

O. R. v. 863—865 chorus precatur, ut magno adiuvante fato sanctam verecundiam semper servet, id in hac tragoedia usu venire videmus. Neque tamen poeta clare atque aperte pronunciat augustam illam atque sublimem veritatem, quam, quum revelationis divinae careret lumine, sentire magis quam cognoscere ipse quoque potuit. Ut princeps tragoediae persona, postquam fati consilium cognovit, eius numini cedit ac se submittit, ita deos ipsos ubique fati parere voluntati videmus. Iam diis licet Oedipi, quem antea efferentem sese perdiderunt, demissum atque oppressum animum erigere et confirmare [119]). Ita Oedipus Coloneus quum posita superbia et contumacia fato se inferiorem esse sentiat, plane diversus est a rege Oedipo, quem sua superbia in perniciem incurrisse supra vidimus.

In Oedipo rege poeta nobis ante oculos ponit magnificam domum regiam supplicibus circumdatam civibus, qui ut deum venerantur Oedipum ab eoque solo auxilium expectant; in Oedipo Coloneo lucum amoenum et tranquillum et diis sacrum, quem Oedipus oculorum luminibus orbatus ducente Antigona filia intrat: illic regem superbum et in omnibus consiliis praecipitem, hic senem gravem et cautum, qui necessitati cedere didicit [120]) nec iam maledica in deos verba iacit, sed modesto pioque animo eorum se subiicit vo-

---

[119]) Oed. Col. ed. Dind. Lips. 1830. v. 394.
[120]) v. 191.

luntati [121]), qui prompte ac lubenter peragit sacra imperata [122]) et deorum ipsorum utitur consuetudine [123]). Inde fit, ut quum antea Tiresiae vaticinia irriserit, tum oculis, non mente captus ipse, qui vitae suae finis sit, intelligere futuraque animo praesagire [124]), quin etiam, quamquam ipse occaecatur, tamen dux esse aliis possit [125]). Ita ad rectam mentem revocatus, quibus mors sua portendatur ominibus intelligit [126]), quumque ea se malis liberatum iri persuasum habeat [127]), forti erectoque animo diem supremum expectat [128]), quo corporis vinculis liberatur et mirandum in modum a diis receptus [129]) in sacro sepulcro quiescit [130]). Hoc velle fatum ipse Oedipus agnoscit:

. . . . . ἀλλ' ἐᾶτέ με
αὐτὸν τὸν ἱερὸν τύμβον ἐξευρεῖν, ἵνα
μοῖρ' ἀνδρὶ τῷδε τῇδε κρυφθῆναι χθονί [131]).

Itaque illo Oedipi ad rectiora studia reditu efficitur, ut omnia ad eum illustrandum conspirent; inde dirae

---

121) v. 84—110. v. 1536:
θεοὶ γὰρ εὖ μὲν, ὀψὲ δ' εἰςορῶσ' ὅταν
τὰ θεῖ' ἀφείς τις εἰς τὸ μαίνεσθαι τραπῇ.

122) v. 500.

123) v. 84—110.

124) v. 1372—1374. v. 1389—1396. v. 1516 sq.

125) v. 1542 sq. 1589. 1521.

126) v. 45. 1511 sq.

127) v. 91.

128) v 1460 sq.

129) v. 1626—1628.

130) v. 1545.

131) v. 1544—1547.

Erinyes in Eumenidas pio seni faventes mutantur; inde postremum lavatur Oedipus fonte Cereris χλόης[132]; inde dii ipsi eius praecones sunt[133]; inde salus ac prosperitas promittuntur ei civitati, quae mortui sepulcrum possideat[134]. Quum non amplius adversetur fato, et chori nimia religio et Creontis violentia et Polynicis preces eius cedere voluntati debent. A diis vocatus[135] morbi expers ac sine lamentis e vita discedit, si quisquam alius mortalium admiratione dignus[136].

Non repugnat huic de Oedipo Coloneo sententiae, quod eundem variis obnoxium erroribus ac saepius labentem conspicimus. His enim erroribus poeta et illustrare placati fati clementiam et Oedipum ipsum significare voluit a naturae humanae infirmitate haud alienum esse nec supra modum hominum excedere. Non magis obstat, quod excusare sese Oedipus etiam posita animi perversitate et crimine expedire conatur[137]. Primum enim ea fuit miserandi regis conditio, ut excusationis nonnihil afferre posset malorum facinorum; deinde poeta Oedipum infirmissimam ac minime idoneam errorum excusationem afferentem facit. Maximi vero illud momenti est, quod Oedipus ipse errasse sese et male fecisse saepissime fatetur[138].

---

132) O. C. ed. Schneidewin. Einleitung. p. 5.
133) v. 1511.
134) v. 389 sq. 1524 sq.
135) v. 1627.
136) v. 1663—1665.
137) v. 266 sq. 273. 971—973. 987. 997 sq.
138) v. 521. 547. 438. 768.

Restat, ut de ceteris tragoediae personis dicatur.

Idem fatum, quod Oedipum emendatum et cedentem deorum numini prospero vitae exitu beata et sacra terra condit, in Oedipi filiorum impietatem severissime animadvertit. Polynices prae ceteris est, cui Oedipus miseriam suam debet [139]; is enim caecum patrem expulit [140]; itaque illi, quum parentes pie colendos et contumelia eos afficere summum nefas esse [141] ostendere velit poeta, etsi ad deorum provocat clementiam [142], iusta fati subeunda est vindicta, quum praesertim animi sui perversitatem ponere nolit [143] nec sibi solum, sed etiam sociis exitium paret [144], quamvis hortante et precante eximiae prudentiae ac virtutis sorore, ut fatali necessitati cedat [145]. Apparet, hic quoque poetam eo, quod Polynicem furiarum patris crudelitate [146] et fati necessitate [147] se tuentem facit, eam hominum perversitatem reprehendere, qua suam ipsorum dementiam extrinsecus repetitis causis solent excusare.

Eteocles et ipse interitu dignus apparet [148]. Divis

---

139) v. 1357 sq.
140) v. 1356—1364.
141) v. 1375—1377.
142) v. 1267—1269.
143) v. 1432 sq.
144) v. 1429 sq.
145) v. 1442.
146) v. 1298 sq. 1432—1434.
147) v. 1441. 1442.
148) v. 1295—1298.

devotus a patre [149]) aeternae iustitiae legibus obnoxius est [150]).

Inter ipsos Thebanos, qui et ipsi poenam, quae imminet, meruere, imprimis Creon fallacia sua et violentia in Oedipum eaque loco sacro castigationem et cladem meruit; propter superbiam eius atque insolentiam ne maiore etiam affligatur calamitate metuendum est [151]).

Itaque fatum quum Oedipum posita animi perversitate deorum voluntati cedentem excitaverit ac confirmaverit, ceterorum tamen mala facinora vindicare perseverat, ut gravem illam vocem, qua poeta in fine tragoediae utitur: *πάντως γὰρ ἔχει τάδε κῦρος*, non modo ad Oedipi exitum, sed etiam ad ceteras fabulae personas referendam esse appareat.

ANTIGONE.

Polynices et Eteocles certamine inito eodem die geminoque fato pereunt [152]). Creon Polynicis corpus insepultum canibus et volucribus proiici iubet. Ne quis iussum negligat, mortis supplicium minitatur. Antigone rem compertam ipsa sorori denunciat [153]); sed minis non perterrita, quod vetitum est, perpetrat. Tum Creon,

---

[149]) v. 1374.
[150]) v. 1381 sq.
[151]) cf. v. 869 sq.
[152]) Antig. ed. Dind. Lips. 1830. v. 170—172.
[153]) v. 21—36.

qua iussum suum sanciat, affert principis auctoritatem [154]), Antigone, qua se excuset, supremam numinis divini voluntatem [155]). Itaque Creon iuris humani vel civilis, Antigone iuris divini defensor existit. In hoc ipso certamine tota tragoediae actio versatur [156]). Exitus utrique parti perniciosus esse debet; nam et Creon et Antigone in violandis iis, quae auctoritate sancta sunt, animi cupiditate quadam et pertinacia abripiuntur, cuius ut poenas luant iustissimae fati leges postulant.

Antigone iam initio animo exacerbato est adversus Creontem [157]), cuius iussum contemnit [158]) et violare parata est [159]). Ipsa quaerit mortem, quin laetatur expectatione exitus tam gloriosi [160]). Resistit igitur iis, qui obloquuntur animoque iis irascitur, qui infirmiorem eam esse dicunt, quam quae regis voluntatem negligat [161]). Quamvis igitur Antigone causas, quibus egerit, iustissimas appellet [162]), non videtur vacare superba quadam sui fiducia, temeritate, imprudentia [163]). His potissimum vitiis in maximum rerum discrimen com-

---

154) v. 734—738.
155) v. 453—455.
156) Abhdlgen der berl. Akad. 1824, l. c. p. 16.
157) v. 31.
158) v. 48.
159) v. 72 .... *καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν.*
160) v. 72. v. 502 - 504.
161) v. 80. v. 93.
162) v. 454.
163) v. 99. v. 471 sq. v. 480. v. 557. v. 853. cf. v. 68. v. 484.

pellitur, ut postremo iustissimo fato poenas solvere cogatur [164]). Quod chorus in Oedipi infelicis conspectu palam proferre non est ausus [165]), id iam diserte obiicit Antigonae, animi pertinacia ad contemnendum regis iussum et auctoritatem abreptam eam esse ideoque ipsam sibi perniciem parasse [166]). Hac culpa Antigonae perniciem allatam esse Boeckhius luculenter ostendit [167]). Nec obstant huic sententiae duo loci, quibus chorus perniciem a fatali domus sorte repetere videtur. Altero enim sola patris calamitas commemoratur:

πατρῷον ἐκτίνεις τιν' ἆθλον [168]),

qua commemoratione infelici filiae aliqua consolatio praebeatur; altero loco:

οὐδ' ἀπαλάσσει γενεὰν γένος ἀλλ' ἐρείπει
θεῶν τις, οὐδ' ἔχει λύσιν.
Νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ
ῥίζας ὃ τέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις
κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν
νερτέρων ἁμᾷ κόνις [169]).

qui locus proprie ad Labdaci generis interitum refertur, chorus diserte calamitatis, qua Antigone affecta est, causam pronuntiat subiiciens:

λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν ἐρινύς [170]).

---

164) v. 853—855.
165) cf. O. R. v. 1186—1222.
166) v. 875: *σε δ' αὐτόγνωτος ὤλεσ' ὀργά.*
167) Abhdlgen der berl. Akad. 1824. p. 66. 73. 77.
168) v. 856.
169) v. 596—602.
170) v. 603.

Tantae culpae Antigonam adstrictam esse dilucide monstratur fabulae parte extrema, qua poeta ostendit, omnem calamitatem evitari potuisse, si animi pertinaciam et agendi temeritatem coercere voluisset. Hoc si fecisset, quoniam divinae leges multo sunt superiores humanis, e certamine adversus Creontem suscepto procul dubio victrix discessisset. Quapropter virgo quamquam exitiosa animi cupiditate ad agendum impulsa est, tamen non perit sine gloria quadam et dignitate. Nimirum causam egit deorum inferorum, quorum iura violata sunt nefaria lege Creontis. Itaque fit, ut Antigone gloriam nacta in mortuorum latebras abeat

. . . κλεινὴ καὶ ἔπαινον ἔχουσ᾽
οὔτε φθινάσι πληγεῖσα νόσοις
οὔτε ξιφέων ἐπίχειρα λαχοῦσ᾽
ἀλλ᾽ αὐτόνομος, ζῶσα, μόνη δὴ
θνατῶν [171]).

Consimilis causa est calamitatis Creontis. Etenim ut Antigone deliquit eo, quod regis legem et auctoritatem violavit, ita Creon peccavit, quod auctoritate abusus legem tulit nefariam et iura laesit sanctissima et ipsis diis colenda [172]). Nimirum deos inferos, quibus mortalium cultus et veneratio debetur, neglexit [173]); idem iura contempsit hominum, quorum officium est defunctos sepelire. Creon ubi regiam auctoritatem nactus est, superbia quasi tumens non Antigonae modo

---

[171]) v. 817—822.
[172]) v. 1072 sq.
[173]) v. 780.

audacia [174]), sed aequissimis etiam sermonibus Ismenae, Haemonis, chori, Tiresiae eo abripitur, ut civium voluntate [175]) et deorum portentis ac minis [176]) prorsus neglectis Antigonam mortis condemnet. Itaque Creon nimia sui fiducia et insolentia inductus, quum divina humana contemnat, Antigonam punit, non quo iustam auctoritatem legisque reverentiam tueatur, sed ne mulier unquam regere civitatem videatur [177]) et potestatem, quae sibi mandata sit, infringat.

Itaque Creontem, quum et deorum contemptu et crudelitate in suos et nimia auctoritatis suae aestimatione iustitiam violaverit, ea manet sors, quam Tiresias praedixit. Eaque eius perversitas est mentis, ut ne eo quidem tempore, quo miserum, quem habiturus est, exitum animo praesentiat, dignitatem suam atque amplitudinem desinat efferre. Nec sua sponte, sed a choro tarde ac paulatim eo postremo adducitur, ut saluti suae consulere studeat [178]). Sed tum quoque cedens choro regia dignitate nimis confidit [179]); qua causa fatum perversitatem eius ulciscitur et ipsa calamitate inflicta eo redigere eum conatur, ut quae aequa et iusta sint perspiciat. Unde fit ut, quum antea suam esse civitatem [180]) et civium se iudicium prae suo pro nihilo

---

[174]) cf. v. 469 sq.
[175]) v. 733 sq. cf. v. 693. v. 509.
[176]) v. 1033—1043.
[177]) v. 525. v. 680. cf. v. 678.
[178]) v. 1102.
[179]) v. 1113.
[180]) v. 738: *οὐ τοῦ κρατοῦντος ἡ πόλις νομίζεται.*

ducere contenderit, iam ipse quam infirmus sit atque imbecillus intelligat seque nihil esse fateatur [131]). Sentit igitur atque agnoscit culpam suam idque adeo, ut neglectis, quae Eurydice, Haemon, Antigone deliquerunt, domus suae exitium sibi soli tribuat. Quapropter choro, qui, ut solatii aliquid afferat, nulli homini fatalis calamitatis esse effugium contendit [132]), respondet, se sua culpa effecisse, ut fatum intolerabile tanquam numen armatum in ipsius caput insiliret [133]).

Itaque quae sit omnis tragoediae ratio ac conditio, chori, quae sub finem fabulae leguntur, verbis manifesto significatur:

. . . χρὴ δὲ τά γ' εἰς θεοὺς
μηδὲν ἀσεπτεῖν· μεγάλοι δὲ λόγοι
μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
ἀποτίσαντες
γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξαν [134]).

Rectissime igitur Suevernius sapienter fecisse poetam ait, quod Antigonae exitu tragoediam non finierit; nam si Antigonae morte fabulam praecidisset, futurum fuisse, ut actio imperfecta et ius humanum divino iure superius esset, nec fati vis et iustitia satis intelligeretur [135]). Hanc igitur ob causam poeta aliter rem instituit. Fractus enim Creon atque afflictus malis et domus suae reliquiarum strage circumdatus nihil

---

[131]) v. 1325.
[132]) v. 1337 sq.
[133]) v. 1345 sq.
[134]) v. 1349—1353.
[135]) Suevern. l. c. p. 21.

hominem quamvis potentem docet valere contra leges summi fati, cuius invictam potentiam chorus Creontis poenam animadvertens his verbis celebrat:

ἀλλ᾽ ἡ μοιριδία τις δύνασις δεινά·
οὔτ᾽ ἄν νιν ὄμβρος οὔτ᾽ Ἄρης,
οὐ πύργος οὐχ ἁλίκτυποι
κελαιναὶ ναῦες ἐκφύγοιεν [186]).

His quam potui accuratissime explanatis ab omni parte rem mihi videor considerasse et, ut Sophoclis de fato sententia melius intelligeretur, pro virili parte egisse. Controversias enim, quae ab huius aetatis hominibus his maxime in rebus dissentientibus excitatae sunt, quoad fieri poterat, devitantes id praecipue egimus, ut nostram de fato Sophocleo sententiam ex singularum tragoediarum ratione simpliciter explicaremus. Itaque, ut earum, quas exposuimus, sententiarum summam faciamus, voluit Sophocles fati vim et potestatem esse maximam, quae in sanctis atque aeternis summae iustitiae legibus posita ad universas mundi res pertineret ac quum diis tum hominibus maxime esset veneranda. Et ille quidem tantum abfuit ut caecam vim fati et insolentem esse statueret, ut quascunque poenas et calamitates luerent homines, earum primitivas quasi causas ex libera ipsorum voluntate veluti

---

[186]) v. 951—954.

ex ipso agendi fonte et principio repetendas esse putaret. Qua ratione, id quod gravissimi momenti putandum est, apparet egregii huius poetae de divinis humanisque rebus opiniones proxime ad veritatem, qua nos imbuti sumus, Christianam accessisse.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 058 384 A